

T20

Medea 978-1027**Un mondo senza dei**

Personaggi in scena

IASON

MEDEA

- IASON Quicumque regum cladibus fidus doles,
concurre, ut ipsam sceleris auctorem horridi
980 capiamus. Huc, huc, fortis armiferi cohors,
conferte tela, vertite ex imo domum.
- MEDEA Iam iam recepi sceptrum germanum patrem,
spoliumque Colchi pecudis auratae tenent;
rediere regna, rapta virginitas redit.
985 O placida tandem numina, o festum diem,
o nuptiale! Wade, perfectum est scelus –
vindicta nondum: perage, dum faciunt manus.
Quid nunc moraris, anime? Quid dubitas? Potens
iam cecidit ira? Paenitet facti, pudet.
- 990** Quid, misera, feci? Misera? Paeniteat licet,
feci. Voluptas magna me invitam subit,
et ecce crescit. Derat hoc unum mihi,
spectator iste. Nil adhuc facti reor:
quidquid sine isto fecimus sceleris perit.
- 995** IA. En ipsa tecti parte praecipi imminet.
Huc rapiat ignes aliquis, ut flammis cadat
suis perusta. ME. Congere extrellum tuis
natis, Iason, funus ac tumulum strue:
1000 coniunx socerque iusta iam functis habent
a me sepulti; gnatus hic fatum tulit,
hic te vidente dabitur exitio pari.
- IA. Per numen omne perque communes fugas
torosque, quos non nostra violavit fides,
iam parce nato. Si quod est crimen, meum est:
1005 me dedo morti; noxiū macta caput.
- ME. Hac qua recusas, qua doles, ferrum exigam.
I nunc, superbe, virginum thalamos pete,
relinque matres. IA. Vnus est poenae satis.
- ME. Si posset una caede satiari manus,
1010 nullam petisset. Vt duos perimam, tamen
nimium est dolori numerus angustus meo.
In matre si quod pignus etiamnunc latet,
scrutabor ense viscera et ferro extraham.
- IA. Iam perage coeptum facinus, haut ultra precor,
1015 moramque saltem supplicis dona meis.
- ME. Perfruere lento scelere, ne propera, dolor:
meus dies est; tempore accepto utimur.
- IA. Infesta, memet perime. ME. Misereri iubes. –

Bene est, peractum est. Plura non habui, dolor,
1020 quae tibi litarem. Lumina huc tumida alleva,
ingrate Iason. Coniugem agnoscis tuam?
Sic fugere soleo. Patuit in caelum via:
squamosa gemini colla serpentes iugo
summissa praebent. Recipe iam gnatos, parens;
1025 ego inter auras aliti curru vehar.
Ia. Per alta vade spatia sublime aetheris,
testare nulos esse, qua veheris, deos.